

minat, & per consequens ad hoc idem determinat omnia instrumenta quibus utitur, inter quæ sine dubio est omnis voluntas creata. Pro ratione hac consulti potest Scotus in 1. sent. dist. 41. 46. & 47.

Deus utitur creaturis ut instrumentis.

Undecima ratio. Deus utitur omnibus causis tanquam instrumentis, sed qui utitur instrumento applicat & determinat illud ad agendum; ergo Deus applicat & determinat omnes causas. Quod argumentum, quia efficaciter concludit si major propositio concedatur, idem nunc à multis negatur, ac nominatim à Bellarmino lib. 4. de gratia & libero arbitrio capite 15. ubi clarè significat, si Deus uteretur voluntate nostrâ tanquam instrumento, quod relatio quæ in actione consideratur, referretur ad Deum, ita ut propter eam diceretur determinare & applicare causas secundas. Verba ejus sunt: *Non dicitur Deus determinare vel applicare voluntatem ad opus; quia relatio illa non refertur ad Deum* (ergo si referretur Deus diceretur determinare & applicare voluntatem) *sed ad solam voluntatem. Referretur autem etiam ad Deum si ipse uteretur voluntate tanquam instrumento ad illam ipsam actionem faciendam; & consequenter Deus diceretur eam determinare & applicare.* Nunc subsume, atqui Deus utitur voluntate cæterisque causis tanquam instrumentis: ergo Subiunctio hæc in D. Thoma est clara, & supra eam probavimus ex pluribus ejus locis, ac nominatim ex lib. 3. contra Gent. cap. 94. 147. 148. 149. ubi disertè ait. *Quæcumque verum aliquid operantur instrumentaliter agunt ab eo mota. Anima nostra operatur sub Deo sicut agentis instrumentale sub principali agente, &c.* Opus. autem 1. cap. 23. ita fatetur creaturam esse instrumentum Dei; ut neget eam Deo coöperari instar duorum navem trahentium. *Sciendum, inquit, quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem, sicut minister domino, dum ejus preceptis obedit, & instrumentum artificis à quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui in quantum operatur eandem operationem cum ipso, sicut si diceretur de duobus portantibus aliquid pondus vel de pluribus trahentibus navem quod unum alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum creatura potest dici creatori coöperari quantum ad aliquos effectus qui sunt mediante creatura, non tamen quantum ad illos effectus qui sunt immediate à Deo, ut creatio, & sanctificatio: secundo autem modo creatura creatori non cooperatur: &c.* Similiter D. Bonavent. in 2. distinctione 37. quaestione 1. & Driedo 1. de gratia & lib. 2. arb. c. 3. hunc coöperationis modum negat, posterior tamen nostram de instrumento similitudinem disertè confirmat ex scriptura tract. 6. l. de capti. cap. 6. Cum ergo duo sint modi quibus creatura dici potest coöperari creatori, vel sicut instrumentum coöperatur artificis, vel sicut coadjuvans ad trahendum navem aut trabem portandum, quaeritur uter sit eligendus & usurpandus? Posterioriorem amplectitur Bellarminus dicto capite 15. Sed quandoquidem posterioriorem S. Thomas abjicit, priorem verò amplectatur & asserat, quid dubitamus Angelicum Doctorem sequi, facerique nos miseræ creaturas esse instrumenta Dei, & cum Deo & per Deum operari sicut instrumentum operatur cum artifice & per artificem, à quo movetur, excitatur & applicatur ad agendum? Sed etiam respon-

deat creaturas quidem esse instrumenta Dei quatenus habeat suum esse à Deo, quod præcisè ad denominationem instrumenti sufficit, & quatenus ab eo pendit in operando, sed hinc non sequitur quod ab eo præmoveantur & applicentur ad operandum. *Resp.* quod ad rationem instrumenti veri & communiter dicti non sufficit accessisse esse & dependere ab alio simili operante, sed necessarium est quod non agat nisi actualiter moveatur. *Instrumentum, inquit D. Thom. lib. 2. contra Gent. cap. 21. nunquam adhibetur ad causandum aliquid nisi per viam motus, & Opusculo 3. cap. 3. Reducendum est, ait, etiam apud indoctos ponere instrumenta moveri non ab aliquo principali agente. Simile enim est hoc ac si aliquis circa constitutionem arce vellecti ponat ferram vel securim absque carpentario operante.* His multisque alijs locis B. Thom. de instrumento manifestè ait quod, præterquam quod accepit esse, virtutemque activam, non possit tamen ad opus exire, nisi moveatur & excitetur à principali agente. Eo autem modo causas secundas esse instrumenta Dei affirmat dicto c. 21. multisque alijs supra allatis. Et quia posse objici, si voluntas est instrumentum Dei, ac proinde necesse haberet ab eo moveri ergo non libere agit. Sciendum est quod idem argumentum sibi olim objecerit S. Thomas quaest. 24. de veritate art. 1. argumento 5. Omne quod movet motum, movet sicut instrumentum, ut patet per comment. in 8. Physicorum. Instrumentum autem non est liberum ad agendum, cum non agat nisi secundum quod aliquis eo utitur: Cum ergo mens humana non operetur nisi mota à Deo, videtur quod non sit liberi arbitrij. Ad quod argumentum facilis erat responsio dicendo quod mens humana non propriè movetur à Deo, sed improprie solum, quodque non movetur nisi quatenus ab eo acceptit esse & ab eo dependet in operando. Verum quia sciebat hæc falsò dici, idem respondet quod instrumentum dupliciter dicitur: uno modo proprie quando scilicet aliquid ita ab altero movetur quod non conferretur ei à movente aliquid principium talis motus sicut ferram movetur à carpentario, & tale instrumentum est expertus libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quicquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus sive non, & sic ab instrumento non oportet quod omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio movens, quod tamen seipsum movet, & ita est de mente humana. Quibus verbis clarè asserit mentem humanam à Deo moveri & instrumenti rationem habere, nec tamen libertate privari, quia sic movetur, ut etiam seipsum moveat: eandemque responsum indicavimus partim ex 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & ex quaest. ratio lib. 105. art. 4. ad 1. 2. & 3. partim etiam aliunde. Debetur etiam quod rationi libertatis non repugnet moveri ab alio instrumentaliter, vel ex eo collige quod natura humana Christi juxta Theologorum sententiam sit instrumentum divinitatis ab ea assumptum ad opera nostræ salutis exercenda. Vide lib. 4. contra Gent. cap. 41. & in quaestionibus disputatis quaestione unica de unione verbi art. 5. ad 4. & 3. p. q. 19. art. 1. ad 2. Si autem divinitas in Christo habitans corporaliter naturam humanam utebatur tanquam instrumento, nec tamen libertati ejus officiebat, ergo libertati non repugnat quod voluntas à superiori movente, scilicet Deo moveatur. Sed negari non potest quin divinitas efficaciter opere-

Ab instrumentum non excluditur.